Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

67

secundum consuetudinem compleuerunt. Similiter et in die et noc
te fecerunt. Supradictus autem senior separatim in alio loco
quiescebat. et audiebat eos loquentes ad inui
cem dicentes. quia isti heremite magis melius
ad refectionem cibantur. quam qui in monasteriis con
sistunt. Hec autem senior audiens tacuit. Et cum illux
isset dies arripuerunt iter ut ad alium heremitam
pergerent. qui in uicino eiusdem senis habitabat. Cum
autem egrederentur. dixit eis senior. Salutate eum ex
me. et dicite ei. Obserua. et noli irrigare holera.
Cum autem peruenissent ad illum alium seniorem. dixerunt
ei mandatum. Ipse uero audiens intellexit causam. et
tenuit eosdem fratres dedit que eis ut operarentur. texentes
sportas. sedensque cum eis ipse non cessauit de opere ma
nuum. Uespere ad illuminaria addidit super consuetu
dinem alios psalmos. et post completas orationes dixit
eis. Nos quidem consuetudinem non habemus cibari cotti
die. sed propter aduentum uestrum oportet nos hodie
cenare. Et apposuit eis panes siccos. et sale dicens.
quia propter uos debemus aliquid amplius cenare. Misit
autem modicum aceti et salis. et modicum olei. Et cum sur
rexissent de mensula. cepit iterum psallere usque prope
lucem. et dixit eis. Non possumus propter uos omnem
canonem psallere. ideoque repausate modicum. quia
de itinere fatigati estis. Cumque factum fuisset ma
ne hora prima. uoluerunt recedere ab eo. sed non permi
sit eos senior dicens. magis iubete facere nobis
cum aliquantos dies. Non enim dimitto uos hodie. sed
propter caritatem teneo uos. et alios tres dies. Illi uero
hec audientes surrexerunt nocte. et ante quam